



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanae Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Aegidij Fezard, Hugonis Scruener, Guilielmi Powel, Elizei Hayewood,
Philippi Harrisoni, Guilielmo Aetoni, Adami Higgins, Roberti Ardeni. n. 22.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

terit: Hæc illum agritudo lenio confectum ac laboribus postremum occupavit; quo testatum videri voluit Beatissima Virgo, suum fuisse beneficium quidquid ille in Societate aut laborasse aut vixisse potuit: decumbens non cessabat Charitatem Societatis in immerentem prædicare; denique Christi nis armis ad certamen ultimum munitus, nono Calendas Februarij Anni millesimi sexcentissimi trigesimali noni, vita hæc mortali relicta immortalæ est auspiciatus. Ab anno circiter sexcentesimo professus trium votorum; nam quartum Romæ sibi delatum ex humilitate non admisit.

XXII. Cæterorum quos dies abstulit in vtraque Germania, ut vita breuior ita quæ laudi verti potuissent ex initiis potius conicienda quam ex fructu prædicanda veniunt *Aegidius Fezard*, admissus Romæ, abiit post studia Pragæ, locius Patris Ioannis Pauli Campani Tyronum Magistri, & anno vno superfuit. *Hugo Scriuener* Herefordiensis, Syntaxin docebat Brunæ anno nonagesimo, neque plura memorantur. *Guilielmo* etiam *Powello* Diocesis Assaphensis, post decem annos in Societate positos, & traditas humaniorum literarum disciplinas, quid ab Colonia commoratione anno nonagesimo septimo euenerit non liquet. *Elizæus Haiwood* Londinensis, Iuris Cæsarei licentiatus, cum operam rudibus in fide instruendis Hallæ aliquamdiu utiliter posuisset (quo munere mirifice delectabatur) in Belgium profectus, & Concionatoris, & Præfecti spiritus officii functus Antwerpia, demum Louanij diem clausit extremum, anno ab Societate inita duodecimo. Quæ animi libertate se facultatibus exuerit cum Societatem iniiit, *Euerardi Mercuriani* Generalis literæ ad eum decimo quinto Ianuarij Anni septuagesimi quarti scriptæ luculenter ostendunt. "De bonorum vestrorum distributione (inquit non possum non valde probare quod Pater *Franciscus Borgia* Sanctæ memoriæ constituit, suaque Reuerentia habuit ratum, nimirum ut æquis partibus suæ, Louanienti, Colonienti, & Monachienti Collegijs portiones obtingant. De altero florenorum quingentorum reditu, quem meo arbitratui relinqui integrum scribitis, non video cuiquam Collegio fructuosius quam Louanientia bona legari possint) Hæc *Mercurianus* *Elizæus* verò quæ plerique bona, quasi per excellentiam, vocari volunt, nè in bonis quidem habuit. *Philippus Harrisonus* Oxoniensis, confectis Mussiponti studiis, in Philosophia laureatus, eandem Herbipoli professus est; deinde etiam Ethicam, & Mathematicam; demum Romam vocatus ad Sanctum Petrum, atque edita quatuor votorum Professione, in Angliam profectus altero post anno diem obiit.

Guilielmus Aeronus Derbiensis Philosophiam vtramque & Mathematicam tradidit Colonia, Treueris, & Moguntie; tum Mollhemij de Conscientia questiones; cæterisque deinde tanto vero dignis muneribus ibidem perfunctus est, ad annum vsque sexcentimum sextum. *Adamus Higgins* Londinensis, Dilingæ & Ingolstadij nouem annis Philosophos est interpretatus; Historiam etiam Sacram & prophanam, & de moribus dubitationes. Hic annis grauis venit Louanium, atque ea propter Olyssiponem primum, deinde Hispalim

Aegidius
Fezard.

Hugo Scriuener.
Guilielmus
Powell.

Elizæus
Haiwood.

Philippus
Harrison.

Adamus
Higgins.

Robertus
Ardrenus

transmissus est, tum Alumnis Seminarij, tum Anglis institutoribus futurus à Confessionibus; vbi consensens, laborum simul & vitæ finem accepit, post annum sexcentisimum decimum quintum. *Robertus Ardrenus* Cicestrensis, admissus Louanij septimo Aprilis anni sexagesimi quinti, per omnia penè Societatis Ministeria gnauum se probauit operarium: nam & humaniora & Mathesim explicuisse memoratur, & functus muneribus Ministri, Procuratoris, Praefecti spiritus, Concionatoris, Penitentiarij in Lauretana, & Sancti Petri aede; quo tamen loco ad supernæ felicitatis præmia euolauerit non reperio. Hos habuit Septemtrio.

In Italia
qui clarue-
re.

Humphre-
dus VVod-
vvard.

Habetur in
in Collo.
Romæ in-
ter M. SS.

XXIII. Hospitii & educationis nomine quantum Italiae atque Hispaniae debeat Anglia, tam cunctis per Europam gentibus est perspectum, tam peruulgatum, vt neque silere fas sit, nè ingrati, neque sat promptum dicere nè in summo beneficio minus eloquentes videamur; & quanquam aëris victulque à nativo discrepantia interitum multis attulerit, plures tamen vtraque reddidit Angliæ quam sustulit operarios. *Humphredi VVoodward* celebris est memoria Mediolani; vbi sacros codices annis pluribus insigni cum opinione recondita eruditionis explicuit, & Psalmos Dauidicos docto Commentario illustrauit; Eius Commentarii meminit Possseuinus in Apparatu; & extare in hunc diem manu scriptum ea in Prouincia locuples est testis Ioannes Stephanus Menochius, qui ei Prouinciæ & Romanæ quondam præfuit, eodem in genere scriptor inter laudatissimos. *Humphredum* cum trigesimo Nouembris anni octogesimi septimi excessisset è viuis, literæ Breranae hoc elogio ornant, "Obiit *Humphredus* Anglus Sacerdos, mira vir eruditione, & scientiâ Dei colendi.)

Edmondus.
Harevvod.

Richardus
Tancred.

Thomas
VVar-
coppus.

Edmundum Harevvod post gradum in Philosophia adeptum antequam in Societatem adlegeretur, & Theologiæ deinde stadium Romæ decursum, vrbs perpetuum habuit inquilinum. Nam vel apud Sanctum Petrum Penitentiaris, vel in Anglorum Seminario Minister, annos vndeugenti explese reperitur: tum valetudinis refarciendæ causa delatus ad domum Probationis in monte Quirinali, sanctè è perhibetur obiisse, vndecimo calendas Octobris anni nonagesimi septimi. *Simon* etiam *Hunt* ante Edmundum, vigesimo septimo Aprilis anni septuagesimi octauis admissus, dum eodem Penitentiarij munere fungeretur, diem obiit 11. Iunij, anni octogesimi quinti. *Richardus* verò *Tancredus* viginti duorum annorum iuuenis, studiis Olomutij & Pragæ decursis, traditisque per biennium græcis literis Viennæ, vocatus in Italiam, diem clausit extremum Patauij, tertio decimo Septembris anni supra quingentesimum nouagesimi sexti.

XXIV. *Thomam* quoque *VVarcoppum* vidit Sicilia non diu quidem superstitem, sed memorabili Dei misericordiâ commotum, vt deserta hæresi in qua educatus, orthodoxam fidem, ac deinde sanctiorem viuendi rationem amplecteretur. Tertium & vigesimum annum attingerat, litteris non leuiter tinctus, & in tractandis quæstionibus ab Nouatoribus in disceptatione